

lute de omni cœlo, imo de omni corpore, cum tamen constet ex fide saltem aliquod cœlum, et aliquod corpus esse creatum, cum dicatur Genes. I quod: *Creavit Deus cœlum et terram*; et in principio symboli: Credimus unum Deum creatorem cœli et terræ, et in cap. Firmiter de summa Trinitate definitur, de nihilo Deum condidisse creaturam corporalem, quod non verificatur de aliis sic, sicut de cœlo et terra, quæ dicuntur in principio creata, ergo rigorosa, et propria creatione. Et ipse D. Thomas in eodem loco dicit: « Quod cœlum non est genitum, sed per simplicem emanationem tantum ad esse processit a Deo. » Quare locus iste Divi Thomæ exponi debet ab omnibus, non urgeri. Et intelligentia est facilis, quod educio dupliciter sumi potest; uno modo formaliter pro ipsa transmutatione materiæ de potentia ad actum, vel de una forma ad aliam alio modo terminative pro ipsa forma dependente a materia in esse, et componente cum illa corpus: hic enim est terminus educationis, ut forma reddatur dependens in esse a materia, et componat cum illa. Primo modo cœlum non est sanctum per educationem, sed per creationem, vel simplicem emanationem a Deo, ut dicit Div. Thomas. Secundo autem modo potest dici forma cœlieducta e materia, quia facta est dependens in esse a materia. Cum autem subdit D. Thomas, quod essentialiter natura corporis sequitur educationem formæ de potentia materiæ, non loquitur de educatione proprie edicta, ut patet in anima rationali constituyente corpus, sed de educatione pro compositione formæ cum materia, quæ est educio in termino, seu in facto esse. Unde post relata verba subdit ibidem Div. Thomas: « Nec hoc adhuc est, quia educitur, sed quia fit

unum ex materia, et formaeducta. » Fieri autem unum ex his duobus est componi. Et hæc sufficiunt pro ista auctoritate, quam non constat esse D. Thomæ, quia opusculum illud dubiæ auctoritatis est.

XVII. Quod attinet ad elementa constat de fide terram esse immediate creatam a Deo, dum dicitur: *Quod creavit Deus cœlum, et terram*; et loquitur de propria creatione, quia non habemus alium locum, unde probemus creationem proprie dictam, nisi ex isto. De elemento aquæ supponitur esse creatum a Deo quia dicitur: *Quod spiritus Dei ferebatur super aquas*, utique tunc factas, et non alio modo quam per creationem. Exprimitur autem creatio aquarum Judith. IX, cum dicitur: *Deus cœlorum, creator aquarum, etc.* De aliis autem elementis a fortiori militat eadem ratio, quia si tam infima elementa sunt immediate creata a Deo, multo magis superiora elementa et perfectiora, ut aer et ignis.

QUÆSTIO LXVI.

DE ORDINE CREATIONIS AD DISTINCTIONEM, SEU DE INFORMITATE MATERIE CORPORALIS.

TEXTUS.

Terra autem erat inanis, et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Quia creatura corporalis ita est creata a Deo, quod primo producta est ex nihilo sub statu imperfecto, id est, informi et confuso: deinde

vero paulatim formata est, et distincta atque ornata; non potest tractari de opere creationis, ut distinguitur ab opere distinctionis quo cepit confusio, et informitas illa tolli, nisi prius tractetur de illa informitate, et confusione sub qua creatura corporalis creata est. Quæ informitas in corporibus cœlestibus erat per carentiam lucis; in elementis per operationem aquarum, quæ totam terram operibant, et bonam aeris partem occupabant, et per vacuitatem, seu inanitatem terræ, quæ carebat omni fructu, et germine. Hoc autem ideo factum est a Deo, ut diximus in initio hujus tractatus, ut ostenderet in creatione ex nihilo infinitam potentiam suam, et in ordinandis elementis, et distinguendis suam potentiam, et in illuminandis cœlis, et extendendis ostenderet prudentiam suam. Unde dicitur Hieremiæ LI: *Qui fecit terram in fortitudine sua, præparavit orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cœlos*: et Proverbiorum III: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia.*

II. Primo ergo quæritur, an ipsa informitas, et confusio, sub qua creatus est mundus, duratione aliqua præcesserit productionem, et distinctionem lucis, et quanto tempore duraverit. Respondetur, quod secundum communioem opinionem; de qua dicemus infra quæstione LXXIV, quod isti septem dies fuerunt veri, et naturales dies, dicendum est, quod mundus fuit sub tenebris per aliquod spatium, et durationem temporis, quod etiam tenet Div. Thomas citatus q. LXXIV, art. III. Quod non leviter insinuat Scriptura dum dicit: *Quod tenebræ erant super faciem abyssi*, et quod: *terra erat inanis, et vacua*, ubi ly erat existentiam, et durationem significat, non solam prioritatem causalitatis, vel naturæ loquendo in sensu

proprio, in quo etiam loquitur Scriptura de aliis diebus. Quanto autem tempore duraverint tenebræ super totum mundum? Respondetur quod p. Suarez, libro II de opere sex dierum, cap. II, num. XXI, tenet et bene aliquam durationem intercessisse inter creationem cœli, et lucem, ita quod tenebræ duraverint aliquo spatio. Postea autem cap. III, num. VII et VIII, explicat hanc durationem tenebrarum solum fuisse in uno instanti creationis, et immediate post dixisse Deum fiat lux, quia existimat solem creatum esse cum luce in ipso instanti primo, immediate autem post illuminasse, Contra quod dicemus quæstione sequenti in solutionibus difficultatum. Nunc autem dicendum est, in primis non durasse spatio diei integri, quia ipsa prima die qua creatus est mundus, facta est lux; si quidem sine luce non est dies. Dicitur autem in Scriptura de prima die, quod: *Factum est vespere, et mane dies unus*. Habuit ergo lucem prima dies, quia habuit mane; ergo si prima die facta est lux, non potuerunt tenebræ illæ occupare totum mundum spatio integri diei.

III. Quod si rursus inquiras, per quot horas illius primi diei duraverit illa informitas, et horror tenebrarum, respondetur posse alicui videri, quod duraverit per duodecim horas, ita quod media parte diei naturalis fuerit mundus sub tenebris et alia dimidia parte fuerit nostrum hemisphærium sub luce, quæ successivo motu girationis, alterum hemisphærium illuminavit. Quod tribuitur Abulensi hic. Et hoc ideo, quia communis, et certior sententia apud omnes est, mundum creatum fuisse in æquinotio (sive vernali, sive autumnali, de quo modo non disputo) ita quod primus dies fuit æqualis diei, et noctis. Cum ergo tenebræ illæ sub quibus mundus

creatus est deservierint pro nocte illi primo diei, videtur quod æquali spatio duraverit cum luce, ita quod fuerint duodecim horæ noctis, seu tenebrarum, et duodecim horæ lucis, seu diei, sicut contingit quando sol est in principio arietis, vel in principio libræ in suis æquinoctiis. In cuius confirmationem non numeratur ille primus dies in Scriptura procedendo a mane ad vesperam, sed e converso, dum dicit quod: *Factus est vespere, et mane dies unus*, quia prius præcessit vesper, id est, tenebræ, deinde, incæpit mane per productionem lucis; quod non potuit esse in die æquinoctiali, nisi tenebræ, seu vesper, aut nox durasset spatio duodecim horarum.

IV. Nihilominus probabilior mihi videtur aliorum sententia, qui existimant universales illas tenebras non occupasse totum mundum nisi tantum spatio sex horarum, quia hoc videtur connaturalius incæptioni diei naturalis, quæ incipit a media nocte et in die æquinoctii sex horis a media nocte computandis durat nox sub tenebris, et hora sexta nascitur sol, et illuminat hemisphærium per duodecim horas, et deinde sequitur nox per alias sex horas (excipio crepuscula, quæ in prima creatione lucis non potuerunt esse) usque ad mediam noctem. In his ergo operibus divinis, ubi caremus auctoritate expresse revelante, recurrimus ad id quod naturalius videtur rebus ipsis. Et cum hoc modo connaturaliter incipiat, et desinat dies naturalis, probabilius erit sic accommodare primi diei dispositionem, et ordinem, sicut modo disponitur incæptio, et progressio diei naturalis.

V. Si ergo compono primum diem æquinoctialem, quod Deus in principio temporis, et in puncto correspondente mediæ nocti creavit in instanti cælum, et terram sub tene-

bris occupantibus totum mundum; quæ tenebræ duraverunt spatio sex horarum, quia etiam tunc movebatur cælum; si enim in principio illo incæpit tempus (ut statim dicemus) etiam et motus, quia tempus est numerus motus. Deinde, transactis sex horis, dixit Deus fiat lux, ut sicut in die æquinoctiali sol oritur sexta hora post mediam noctem, ita in illa prima die quæ æquinoctialis fuit, lux inciperet sexta hora post tenebras. Deinde, lux illa illuminavit hoc hemisphærium duodecim horis; et post occasum successit nox jam divisa a luce post alias sex horas usque ad mediam noctem; et inde incæpit secundus dies naturalis.

VI. Dices: Div. Thomas multis locis docet primum diem non habuisse mane, sed tantum vesperam, ergo non fuit dies integer, et completus. Antecedens patet, i. p. q. LXIII, art. VI ad IV, et q. IV, de potentia, art. II ad XIII et XV, et VIII de veritate, art. XVI ad VIII, et in II, dist. XII, q. I, artic. III ad VII. Respondetur in his omnibus locis Div. Thomam loqui in sententia Augustini quod omnes illi dies distinguebantur secundum diversos conceptus mentis angelicæ, non in sententia, quod fuerunt dies naturales, quam infra q. LXXIV approbavimus. Nec obstant fundamenta opposita; quia non negamus diem illum æquinoctialem habuisse noctem æqualem cum die, sed non ita dispositam, quod tenebræ duraverint duodecim horis continuis ante lucem, et aliis duodecim lux; hic enim non est modus connaturalis incæptioni diei naturalis, qui incipit a media nocte, sed probabilius, et conformius naturis rerum fit eo modo quo diximus. Nec obstat quod Scriptura computat hunc diem incipiendo a vespere: hoc enim etiam facit in aliis sex diebus, quos tamen constat

non incæpisse a tenebris sic continuatis per duodecim horas; alioquin vel semper omnes dies sic incæpissent, et finirentur in occasu solis, et nunquam media nocte, vel superessent illæ horæ quæ intercedunt ab occasu solis usque ad mediam noctem, et ad nullum pertinerent diem, nisi esset dies triginta horarum, vel circiter. Quare illa computatio Scripturæ incipiendo dies a vespere, vel facta est a Moyse juxta morem Hebræorum, qui computabant solemnitates suas a vespere usque ad vesperam: vel certe cum primus dies incæpisset a tenebris sicut dictum est, voluit Moyses prius ponere vespere, id est, tenebras quam mane in primo die, quia revera sic fuit. Deinceps vero reliquos dies eodem modo continuavit, ne in hoc necesse esset stylum mutare; et res erat parvi momenti.

VII. Adverto tamen, quod etiam p. Suarez ubi supra libro II, cap. III, num. IV refutat hanc durationem sex horarum pro tenebris, quam etiam attribuit S. Bonaventuræ dicitque falso niti fundamento ex eo quod Scriptura prius nominat vesperam quam mane, cum dicit: *Factum est vespere, et mane dies unus*. Sed nos hoc fundamento non nitimur. Et sic non tangit nos, sed nec inconveniens quod Suarez infert, quia alias ille primus dies haberet illas sex horas ultra viginti quatuor quæ faciunt diem artificialem. Sed nos jam ostendimus, potius illas sex horas componere diem artificialem viginti quatuor horarum, quia incæperunt tenebræ mundi a media nocte, et hora sexta facta est lux, et incæpit sol lucere per duodecim horas sicut in die æquinoctiali. Et restarunt aliæ sex usque ad aliam mediam noctem.

INFORMITAS MATERIE CORPORALIS
NON FUIT SUBSTANTIALIS, SED ACCIDENTALIS.

VIII. Cum informitas dicatur a carentia formæ, et forma sit duplex, altera substantialis, altera accidentalis, merito dubitari potest, an ista informitas, et indistinctio sub qua mundus creatus est fuerit per carentiam formæ substantialis, ita quod sola materia fuerit producta a Deo, formæ vero sint postea suppleratæ; an vero ista informitas fuerit per solam carentiam alicujus formæ accidentalis, v. g. quia non fuerunt ista corpora distincta, et ordinata loco, situ, et ornatu suo.

IX. Divus Thomas tam in hac quæstione, quam in reliquis subsequentibus ubicumque tractat de ista informitate sentit materiam primam non potuisse sub informitate substantiali, seu carentia omnis formæ substantialis præcedere ipsam formam nisi tantum prioritate aliqua naturæ, seu causalitate, eo quod forma non potest produci nisi unita materiæ, et consequenter debet præsupponere in aliqua consideratione, et prioritate materiam cui uniatur, et quia unitur illi immediate, et sine omni alia forma, ideo pro illo priori unionis supponit illam carentem omni forma. Cæterum si loquamur non de prioritate solum naturæ, sed etiam durationis, sentit D. Thomas nec de facto, nec de possibili potuisse materiam corporalem existere, et durare cum carentia omnis formæ substantialis, seu cum informitate substantiali. Et quidem quod de facto non fuerit producta a Deo materia sine forma substantiali constat manifeste, quia primum quod Deus creavit fuit cælum, et terra, id est, corpora cœlestia, et elementa, ita quod antea nihil produxerat, sed

hæc creavit principio; cælum autem, et terra sunt corpora composita ex materia et forma, non autem sola et nuda materia, ergo nunquam præcessit in aliqua duratione materia carens omni forma. Et sic distinctio substantialis corporum cum ipsamet cratione incæpit, quia tamquam distincta corpora creata sunt cælum, et terra, seu elementa.

X. De possibili autem existimat D. Thomas implicare contradictionem, quod materia possit existere sine forma, ita quod prius debeat recipi in materia actus formalis, qui dat speciem, et constituit naturam determinatam quam actus entitativus, qui est existentia, et solum constituit rem extra causas, non autem naturam aliquam constituit, cum fit prædicatum accidentale et non essentialiale alicui naturæ creatæ. Sed quia in hoc multi contradicunt D. Thomæ existimantes opposito modo rem se habere, scilicet quod actus entitativus, seu existentia est intimus, et transcendentalis, quia per hunc habet omnis realitas, quod sit extra nihil; primum autem in unaquaque realitate est esse aliquid, seu extra nihil: ideo existimant quod cum materia prima ratione sui, et ante omnem formam sit aliquid, et extra nihil habet ratione sui actum entitativum, seu existentiam, cui superveniunt formæ substantiales ad componendum determinatas naturas. Et ideo sentiunt non repugnare materiam primam poni, aut conservari a Deo sine omni forma substantiali cum solo actu entitativo existentia.

XI. Hanc controversiam tractavimus in physicis, et in primo tomo hujus primæ partis, et defendimus sententiam Div. Thomæ ideoque in præsentia non oportet id iterum disputare. Solum advertimus sententiam D. Thomæ præsupponere aliqua principia, quæ in se fundatis-

sima sunt, et illis præsuppositis evidenter sequi materiam secundum se carere omni actu entitativo, seu existentia, nec posse illam habere nisi mediante aliqua forma substantiali, atque privari omni existentia.

XII. Primum principium est, quod existentia non est prædicatum essentialiale, neque transcendentaliale, aut intrinsecum alicui rei creatæ, sed est pure contingens, et conveniens creaturæ ex pura voluntate, et beneficio Dei, et sic nunquam facit propositionem æternæ veritatis. Res autem esse extra nihil, et esse aliquid reale est id, quod valde æquivocat, et valde hallucinat auctores in hac parte, quia non solum est aliquid reale, seu extra nihil, quod est de facto existens, et positum extra causas, sed etiam quod est capax poni, et in via, et tendentia, ut ponatur extra causas, quia id quod est purum nihil est incapax, et repugnans existentia, cum sit contradictorium illi. Quod ergo est capax et tendens ad existentiam jam non est nihil, neque contradictorium existentia, quia capax illius est saltem mediate, seu mediante alio; materia ergo secundum se, et ante omnem formam realis entitas est, et distincta a nihilo, sed est entitas potentialis, et tendens ad existentiam, et capax illius mediate, id est, mediante forma, non immediate, id est, sine forma. Et per hoc principium enervatur omne fundamentum oppositum de actu entitativo qui distinguit ejus reale a nihilo. Non enim solus actus entitativus distinguit ens reale a nihilo, sed etiam capacitas, et tendentia ad illum, etiamsi sit susceptiva illius mediate, et non immediate solum.

XIII. Secundum principium est, quod existentia non est actus constituens naturam, aut aliquem gradum, seu prædicatum naturæ, sed constitutam supponit, quia solum

extra causas illam ponit. Unde fit quod essentialiter actus existentia supponit actum formalem constitutum naturæ seu gradus, aut speciei, ideoque multo magis subordinantur inter se isti duo actus formalis, et entitativus, quam duo gradus ejusdem formæ genericus, et specificus, quia uterque istorum essentialis est: existentia autem, seu actus entitativus comparatur ad formalem tamquam accidentalis, et non constitutivus naturæ ad essentialem et constitutum. Quare sicut implicat quod gradus specificus conveniat rei sine generico, et ante illum, ita implicat, quod actus existentia conveniat materię ante actum formalem, tum quia actus formalis est qui dat speciem, et constituit naturam in suo gradu determinato. Materia autem prima est entitas quædam potentialis primo, et per se ordinata ad constituendum cum forma quidditatem, et naturam, si quidem species, et quidditas rerum corporaliū ex materia, et forma componitur: cum autem inter formam constituentem quidditatem, et existentiam sit essentialis subordinatio, quia prius est essentialis, et quidditatem constitui, quam extra causas poni, consequenter materia prima, prius, et immediatius respicit formam constituentem speciem, et naturam, quam existentiam; quæ solum ponit naturam constitutam extra causas. Ubi autem est essentialis subordinatio inter gradus, vel formas, implicat quod prius recipiatur secunda, quam prima, sicut non potest prius convenire rei gradus specificus, quam genericus.

XIV. Quod si dicatur, ex hoc principio recte concludi, non posse in materia recipi existentiam ipsius formæ, vel totius compositi, nisi prius recepta forma constituyente naturam, vel compositum: non tamen probat materiam non recipere in se

suam propriam existentiam partialem, cujus immediate capax est, et non mediante forma eo quod convenit illi, ex eo præcise, quia realis entitas est, et consequenter capax existentia.

XV. Contra hoc utitur Divus Thomas aliis duobus principiis. Alterum est, quod existentia non plurificatur juxta pluralitatem partium, sed est unicus terminus, et actus ipsius suppositi, seu totius, et unica existentia sufficit pro omnibus partibus constituentibus idem totum, sicut sufficit unica subsistentia pro unico supposito, ut tradit in part. q. xvii, art. ii, et in iii ad Annibaldum, distinct. vi, art. ii ad ii: « Esse naturæ dicitur dupliciter: nam aliquando dicitur actum primum, qui est res essentialis, quæ est actualiter essendi principium: aliquando dicitur actum secundum, qui est actus entis per essentialiam sicut lucere est actus lucentis per ipsam lucem. Primo modo dicitur de naturis. Secundo modo de naturarum suppositis, quia est actus suppositi ut quod, formæ vero ut quo. » Et infra: « Et hoc modo proprie, nec partes, nec accidentia habent esse, sed tantum suppositum completum. » Quod etiam late ostendimus præcedenti tomo, disputatione quarta. Nam si quælibet pars haberet suam existentiam actu distinctam ab alia parte, idem esset dicendum de partibus integrantibus: et sic quælibet pars integrans quantumcumque minima haberet existentiam distinctam ab alia, si quidem una existentia non sufficit actuare plures partes, alias si sufficeret, non repugnaret omnes partes unica existentia actuari.

XVI. Et cum semper partes sint divisibiles in infinitum, si non sufficit unica existentia actuare plures partes, erunt actu infinitæ existentia in quolibet composito, quia partes sunt divisibiles in infinitum, et